Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

subsistimus concede propicius. ut intercessione beati Syxti martyris
tui atque pontificis contra omnia adversa muniamur. Per. *Sec.*
Sacrificiis presentibus quesumus domine intende placatus. ut et devo-
tioni nostre proficiant et saluti. Per. dominum nostrum. *compl.*
Presta quesumus domine deus noster. ut cuius festivitate votiva sunt
sacramenta. eius nobis intercessione salutaria reddantur. Per. *Sanctorum*
Deus qui nos concedis sanctorum *felicissimi Agapiti.*
tuorum. felicissimi. agapiti. natalicia colere da nobis
in eterna leticia de eorum societate gaudere. *M*unera tibi domine. ut supra
Presta nobis quesumus domine intercedentibus sanctis tuis felicissimo *complend.*
agapito. ut que ore contingimus pura mente capiamus. Per.
Da quesumus omnipotens deus. ut qui beate Affre *Affre m. Sec.*
martyris tue sociarumque eius sollempnia colimus. earum apud te
patrocinia sentiamus. Per. Accipe quesumus domine munera *Sec.*
dignanter oblata. et beate Affre sociarumque eius suffra-
gantibus meritis. ad nostre salutis auxilium provenire concede.
Quesumus domine deus noster. ut sacrosancta mysteria. que pro reparationis *compl.*
nostre munimine contulisti. intercedente beata Affra martyre tua
cum sociabus suis. et presens nobis remedium facias esse et futurum. Per.
Deus tuorum gloria sacerdotum presta quesumus. ut qui *Donati martyris*
beati Donati martyris tui atque pontificis festa cele-
bramus. eius auxilium sentiamus. Per. Super has quesumus domine *Sec.*
hostias devotionis nostre propicius respice. et peccatorum nostrorum
vincula. beati Donati martyris tui meritis absolve. Per dominum. *compl.*

Complenda. Da nobis quesumus omnipotens deus ut qui martyris Oswaldi festivitate
divina dona celestia [illegible] percepimus eius interventione sint
nobis arma fortissima ad conterendas [illegible] insidias [illegible]
[illegible] inimici. Per dominum